

que Sapiencia, vt de Socrate diximus, in finem enituit: lacebat suprema laborans ægritudine, ad quem cū discipulorū cœtus conuenisset instantium, vt iudicio suo probatum eis magistrum, ac doctrinæ suæ hæredem, velut testamentaria dispositione relinqueret, quod post vitæ suæ exitum instruerentur, sensit Aristoteles nec comparationes odio carere, nec modum famæ, pondus suam secum tracturam esse sententiam, sed tam pias discipulorum preces spernere non poterat. Respondit itaque: Se cum primum ex commodo liceret facturum quod peterent. Ex multis quidem claris viris eius auditorium frequentantibus, duo longè antè cæteros stabant Theophrastus, ex Lesbo Insula, & Menedemus ex Rhodo oriundus, vt nulli dubium foret, de his tantum consuli: Nam multò post eisdem illis, qui primum deprecati fuerant, circumfusis obsequij causa: Vinum, inquit Aristoteles, quo vtor asperum & inamœnum est, quærite mihi vel Rhodium vel Lesbium: quin potius vtrunque degustandum afferte, vtar eo quod delectauerit: Vtrunque cum attulissent, Rhodium poscit: Quo gustato, firmum hercle vinum,

num,